61.

Charissime gener.

Nupero die Lunæ scripsit ad te Johannes Henricus
noster. Die Jovis accepimus literas tuas cum ~~pyris~~ fructibus.
quibus interim suaviter vescimur. Cæterum Brema perve-
nerunt ad nos literæ Hermanni nostri: quibus significat
partum uxoris suæ. Eis literis inclusæ erant hæ, quæ tibi
inscriptæ sunt. Spero, eas tibi gratas fore. Atque ille quidem
ita generum et filiam meam, cum Bremæ essent, tam
amanter excepit, ut non potuerit benignius: & me mosque
omnes amat unicè. Intelligo, ipsum in officio faciundo
esse diligentem, & in meditationem seriò incumbere. quare
etiam à plurimis magni fit. inter quos sunt et docti, iique
Consules, qui nunquam negligant ipsius conciones. Deum oro,
ut porrò labori ejus benedicat. Quod attinet exem-
plaria Cantici et Apocalypseos, si ea apud bibliopolas
sunt, nihil amplius laborandum est. Antijudaicorum tantum
duo sunt exemplaria. Johannes Henricus mittet aliquid
de Catechesi. Facies, ut in tempore recipiam. Felix Le-
per rogat, et ut ei aliquid excudendum dem. Is valde
expetit Catechesin. Et vellem in eam aliquid. Sed
considero, 1. annon eadem in Locis Comm. jam exstent,
quæ ad Catechesin dici possent? 2. annon nova scriptione
opus sit! Lexicon profecit ad radicem צוה / Et valde
cupio id absolvere. Modo ivi ad D. Vander Hagen, ut ali-
quas chartas de Catechesi repeterem. Ubi collocutus sum cum
eo de edendis in Catechesin notis. Ille mihi respondit, se non
suadere, ut ita edam, quemadmodum dictata sunt. Ex iisque
enim id cum meo honore fore. Imprimis, quia aspersi
Scripturas tractare. Sed, si mihi videatur ea de novo
scribere, et per quæstiones ac responsiones distinguere,
id ut utilissimum fore, ita etiam se libenter ajuturum.
Quin tum velle, ut simul Germanicè prodirent. Ego,
quamvis vellem omni modo juvare rem publicam, vel
propterea, quia jam aliquid dictavi, quod censeo ipse
non posse vel cum honore meo aut fructu satis magno
aut culpa negligentior edi, et id perficiam & in
ordinem redigam, tamen ἀσυνδυασία. imprimis, si
Typographus tempus non indulgeat. D. Amiæ agam gra-
tias his verbis, quum eum videro. Valete optimè &
salvete. Lugd. a. d. 24. August. 1665.

Vester amantissimus

Joh. Cock.

Omnes nostri vos
salutant.
Venit hoc mihi in mentem, quod D. Amia ex
Selandia mihi significavit, sibi sermones de te
fuisse cum affini suo Consule, et sororem te audivisse,
affinem autem nunquam. Ideoque me monuit, ut
auctor tibi essem ut ad Exc. Mi ddelburgi
concioneris. Nolui hoc reticere. Tu statues.

A 16

Reverendo et doctissimo
d. Guilielmo Anslario
V. D. M.

Briffelingae.

Middelburch ten huyse
van de Heere Jacobus
Anslaar Predicant.